

Eph. 1, tractans illa verba: *Secundum operationem virtutis ejus*; sic ait: *Quod autem assumpta ex nobis natura ejusdem honoris cum eo, qui sumpsit, sit particeps, ut nulla videatur adorationis esse differentia, omne miraculum superat.*

31. *Conciliorum testimonia in contrarium allegata, exponuntur.* — His testimoniis non solum respondendum est, sed etiam ostendendum, extra causam quam Patres tractabant, afferri. Primi ergo testimonii ex anathem. 8, ab eodem Cyrillo petenda est interpretatio, qui in defensione ejusdem anathematismi ad Orientales, in fine, ita concludit: *Igitur factus est anathematismus contra eos qui modis omnibus dividunt Emmanuelem in hominem proprie et Deum Verbum; nobis enim unum et eundem Theologorum sermo prædicabit, sacrarumque litterarum inadulterata cognitio.* Et in exposit. anathem. dict. in Conc. Eph. ab eodem Cyrillo, his verbis illum exponit: *Si quis igitur adorari eum tanquam hominem una cum altero præter ipsum existente, videlicet Dei Patris Verbo, dicit, et non secundum veram unionem in unum Christum et Dominum conjunctum, una adoratione honorat, juste virtuti anathematismi hujus subicitur.* Ex his ergo constat primo, ibi tantum esse sermonem contra Nestorium, qui ita dividebat Christum in duas personas, ut negaret posse una propria adoratione adorari, nisi tantum per accidens unam personam cum altera conjungendo. Secundo constat, falsum esse, hominem, in eo anathematismo pro humanitate sumi; nam Nestorius, cujus sententia ibi damnatur, non hominem, id est, naturam humanam, sed personam humanam dicebat esse assumptam, quia non ponebat assumptionem substantialem, sed accidentalem. Unde revera Cyrillus ibi non admittit hominem assumptum, sed ad damnandam sententiam hæreticam, eam proponit eisdem verbis, quibus hæretici illam asserebant. Hoc, quod per se clarum erat, declaravit ipse Cyrillus in defensione ejusdem anathematismi ad Evoptium, dicens: *Non nos hominem assumptum esse dicimus a Deo Verbo, et copulatum illi secundum habitudinem quamdam, quæ extrinsecus intelligatur, sed hominem eum factum esse definimus; et hanc ob causam excidisse a pietate dogmatum eos, qui audent dicere assumptum hominem adorandum cum Filio et Deo, ut alterum cum altero.*

32. *Propositio hæc: Humanitas Christi Verbo coadoratur, an damnata, an saltem*

falsa? — Tertio, constat ex his, hanc locutionem: *Humanitas adoratur cum Verbo, seu, coadoratur Verbo, non esse damnatam in illo anathematismo.* Probatur, quia, ut dictum est, ibi non est sermo de humanitate, sed de hoc homine Christo, de quo longe diversa est ratio; et ideo ex una definitione non licet colligere aliam. Sed quæres an illa propositio vera sit, vel falsa. Aliqui Theologi illam damnant, quia, licet in verbis illius anathematismi non comprehendatur, comprehenditur tamen sub ratione ejus, scilicet: *Quia particula cum, quoties adjungitur, denotat divisionem et separationem inter ea quibus adjungitur.*

33. *Responsio.* — Mihi tamen videtur illa locutio in omni proprietate et rigore vera: *Humanitas adoratur cum Verbo, seu coadoratur Verbo, quod etiam hic Medina notavit.* Et sumitur ex eodem Cyrillo, in eodem I. Apol. ad Orient., ubi respondens Orientalibus, illi objicientibus quod alio loco scripsisset, *Filium cum sua carne sedere ad dextram Patris; et in anathematismo negaverit, Filium cum homine adorari, dicit in hunc modum: Etenim, quando ab una persona et natura, hoc est, subsistentia una, examinat sermo ea ex quibus est, hoc est, naturaliter constat, offertur cum, hoc est, per se cum; servavit etiam sic per significatum, quod unum sint secundum compositionem, et non inter duo distincte discernit; quando autem ante distinctis subsistentiis in duo, et ad hoc quod oporteat seorsum alteram intelligi et proprie, si cum vel per se cum (supple dixeris), tunc eorum vel etiam plurimum, et non unius secundum compositionem, factam manifestationem dicimus.* In quibus verbis declarat Cyrillus particulam *cum* non indicare accidentalem conjunctionem, et substantialem divisionem, nisi quando adjungitur terminis significantibus personas, vel res subsistentes; et ideo merito damnat illam propositionem: *Christus coadoratur Verbo, vel homo assumptus adoratur cum Deo.* At vero quando illa particula interponitur naturæ et personæ, aut partibus componentibus totum, licet significet aliquam distinctionem, non tamen excludere substantialem unionem et compositionem. Et adhibet exemplum Cyrillus, dicens: *Ut, exempli gratia, si dicerem forte cohonorari animam hominis cum suo corpore, qui honor certe fieri a quopiam erga unum hominem, qui est ex utroque, vel, si quis diceret animam cum suo corpore esse unum animal, non propterea in duos homines unum*

dividit; videtur autem potius non ignorare ea ex quibus sit, hoc est, compositum sit naturaliter.

34. *Diluitur objectio.* — Dicunt aliqui, Cyrillum non simpliciter admittere illam locutionem, sed adjuncto illo relativo, *sua*, vel alia dictione simili, quæ denotet substantialem unionem; sic enim ait animam cohonorari cum suo corpore, et Filium cum propria carne considerare Patri. Sed Cyrillus non facit vim in illo pronomine vel relativo, sed in significatione particulæ *cum*, quæ accommodatur extremis quibus adjungitur. Unde, si extrema significantur ut supposita, etiam si addas, *Homo cum suo Deo, vel, Deus cum suo homine, erit falsa locutio.* E contrario vero, si extrema sint partes, vel suppositum et natura, etiam si non addatur pronomen, vel relativum *suus*, vel *sua*, vera erit locutio. Et ratio est, quia particula *cum*, ex se societatem et conjunctionem significat, ut Latini aiunt; et ideo, si extrema ex se non sunt suppositaliter distincta, non significat talem distinctionem in eis, sed potius apta est conjunctionem substantialem significare; et, quamvis hæc expressius significari videatur, quando additur relativum *sua* vel simile, tamen, etiam si non addatur, illa significatio non excluditur, neque alius falsus sensus indicatur; imo etiam addendo prædictum relativum, adhuc potest significari unio accidentalitatis, ut patet in exemplo posito, *Petrus cum suo servo, vir cum sua uxore, etc.*, honorantur, Imperator cum sua veste adoratur; ergo de se est indifferens significatio, accommodatur autem extremis; idem ergo est de particula *cum*, etiam si sola ponatur. Et ita Augustinus, sermone 58 de Verbis Domini, sicut admittit hanc propositionem: *Diadema Regis simul cum Rege adoratur, ita et hanc: Carnem Christi simul cum divinitate adoramus.* Et Epiphanius, in Anchorat.: *Adoratur* (inquit) *rex, coadoratur autem cum ipso etiam purpura quam gestat.* Et eodem modo explicat adorari Verbum, et coadorari humanitatem. Et Damascenus, l. 3, c. 8, agens de Christo, inquit: *Cui unam eandemque adorationem cum Patre et Spiritu Sancto, ac cum immaculata ipsius carne adhibemus.* Similiter apud Cyrillum, ex Athanasio legimus, l. 1 de Fide ad Reginas, circa principium: *Confitemur unam naturam Dei Verbi incarnatam et adorabilem cum carne sua una adoratione.* Est igitur illa locutio satis propria et frequens apud Patres.

35. *Illatio.* — Quarto, infero ex prædicta

expositione, in eo anathematismo octavo nihil definitum aut damnatum esse de hac locutione: *Verbum et humanitas sunt duo objecta adorabilia, aut sunt adorabilia tanquam alterum cum altero.* Probatur, quia, ut ostensum est, ibi non est sermo de humanitate, sed de homine; dicere autem Christum hominem esse alterum a Verbo, est plane hæreticum; et ideo merito damnatur illa propositio, in qua hæc alteritas (ut sic dicam) significatur; nam, cum Christus et Verbum sint unus, non possunt esse alter et alter, ut supra, quæstione decima septima, visum est. At vero humanitas, eo modo quo est ens, est alterum ens a Verbo, et altera natura a deitate Verbi; et ideo ea quæ de homine dicuntur, non necessario ad humanitatem extenduntur. In illo ergo decreto nihil de adoratione humanitatis, ut distinctæ a Verbo, dicitur.

36. *Quæsitio respondetur.* — Quæri vero hic potest, sicut in præcedente puncto, an illa locutio in rigore vera sit, vel falsa. Et respondeo breviter, simpliciter non esse admittendam, sed negandam potius, nam in rigore impropria est et falsa, quia humanitas Christi non est per se ens, sed est quasi pars seu natura componens Christum; et ideo Christus et humanitas ejus non possunt simpliciter dici duo objecta adorabilia, sicut B. Virgo et anima vel corpus ejus non sunt plura objecta adorabilia, quia anima et corpus componunt unum objectum adæquatum et completum propriæ adorationis, quamvis mens humana possit præseindere, et circa unam vel alteram partem præcise versari. Eo vel maxime quod adoratio simpliciter et propriissime dicta dirigitur ad personam, cujus proprium est habere excellentiam, potentiam et dominium, in quibus adoratio fundatur; et ideo, ubi non sunt duæ personæ, non possunt simpliciter admitti duo objecta adorabilia, sed ex se unum est, etiam si mens possit quasi in partes illud dividere. Quo etiam fit multo minus dici posse adorari humanitatem cum Verbo, tanquam alterum cum altero, nam alter et alter proprie non dicuntur, nisi de personis, seu suppositis. Et in hoc sensu loquitur aperte Cyr., in cit. loc. Tandem propter eandem rationem non sunt absolute concedendæ duæ adorationes humanitatis et Verbi, seu Christi, etiam si humanitas dicto præciso modo possit adorari; nam proprie et ex se petit adorari simul cum Verbo, et una atque eadem adoratione qua Verbum; et, quando mente

præscinditur, illa adoratio est veluti incompleta, et quasi pars alterius, sicut humanitas ipsa incompletum objectum est; et ideo sicut pars et totum non sunt duo simpliciter, ita neque illæ sunt duæ adorationes simpliciter, sed solum secundum quid; sicut Christus et humanitas ejus non sunt duo simpliciter, sed secundum quid. Quanquam, ut dixi, quando Concilia loquuntur de una adoratione Christi Dei et hominis, solum tractant de propria et completa adoratione, quæ ad personam refertur, de qua quomodo una sit, dictum est sectione præcedenti. An vero præter hanc completam adorationem possit humanitas, præcise concepta, quasi incomplete adorari, et an hæc adoratio sit aliquo modo distincta ab illa, nihil Concilia tractarunt, quia ad dogmata fidei non pertinebat. Et per hæc satis responsum est ad ea quæ ex Concilio V Constant., et ex Cyrillo, in fine illius argumenti, adducuntur.

37. Ad primam confirmationem ex VII Synodo respondetur ex superius dictis, aliud esse dividere, aliud esse præscindere seu præcise abstrahere. Nam dividere idem est quod separare, et negando abstrahere unum ab alio; præscindere autem solum est considerare unum non considerando aliud. Hærefici ergo, qui dicebant, per imaginem Salvatoris, repræsentantem eum ut hominem, dividi humanitatem a divinitate, loquebantur proprie de divisione negativa; volebant enim ex vi talis imaginis repræsentari Christum ut purum hominem, ut causam invenirent ad rejiciendam talem imaginem. Et hoc modo recte dicit Concilium, per hujusmodi imaginem non dividi humanitatem a Verbo, sicut non dividitur corpus ab anima, quando homo secundum figuram corporis in imagine repræsentatur; et in hoc sensu, etiam si ad mentis cogitationem hoc extendatur, verum est non posse dividi humanitatem a divinitate, id est, ut separata cogitari, negando, videlicet, eam esse unitam Verbo. Secus vero est de abstractione præcisiva, in qua nullum est mendacium. Neque oportet in hoc figuram sensibilem conceptioni mentis æquiparare, quia multo subtilior est cogitatio mentis, quæ potest etiam indivisibilia dividere; nihilominus nonnulla est similitudo, nam etiam per imaginem sensibilem Christi hominis repræsentatur expresse humanitas ejus, non vero divinitas. Unde, licet non repræsentetur humanitas separata seu divisa a divinitate, dici tamen potest repræsentari præcise,

quatenus imago ita est similis humanitati, ut non sit similis divinitati, quanquam, supposita fide, repræsentata illa humanitate, implicite nobis repræsentetur conjuncta divinitati quia credimus ita existere, semperque extitisse. Quamvis autem hoc in re ita sit, potest mens nostra non semper id cogitare, sed unum ab alio præscindere.

38. Ad secundam confirmationem concedo, hanc locutionem esse verissimam: Humanitas adoratur propter Verbum, quia in ea nihil aliud significatur, quam Verbum esse rationem adorandi humanitatem, quod est verissimum, non solum in hoc improprio et imperfecto modo adorandi, quo humanitas in abstracto colitur, sed etiam in illa perfectissima adoratione, qua, dum Christum et Verbum adoramus, ipsius coadoramus humanitatem; nam tota ratio ob quam adoratio illa redundat in humanitatem, est Verbum, cui conjuncta est; sic Damasc., l. 4, c. 3: *Caro (inquit) suapte quidem natura minime adoranda est, verum in incarnato Deo Verbo adoratur, non quidem vi sua, sed ob Deum Verbum, personaliter ipsi copulatum*; et id declarat exemplo ferri igniti, quod tangere non audeamus, non propter se, sed propter conceptum ignem. Idem sumitur ex aliis Patribus sectione præcedenti citatis. Neque contra hoc quicquam obstant verba citata ex ep. 10 Cyrilli, nam, ut sæpe dixi, ibi non est sermo de humanitate, sed de homine, qui sit alter a Verbo, et quo Verbum indutum fuerit, quod fieri non potuisset, nisi accidentaliter unione et denominatione. Et ratio, quam statim Cyrillus subjungit, hoc satis declarat, nimirum, quia qui hoc modo loquitur, hominem a Deo dividit.

39. *Patrum testimonia exponuntur.* — Superest ut respondeamus ad testimonia Sanctorum. Ad Damasc. respondetur, verissimum esse, Verbum incarnatum in eadem esse gloria cum Patre, et carnem ejus ad participationem ejusdem sedis esse subiectam, et ideo una adoratione coli cum ipso, quando Verbum ipsum incarnatum adoratur; hoc autem nil impedit quominus possit humanitas cogitatione præscindi, ut ipsemet Damasc. ibidem fatetur, dicens: *Si subtili cogitatione id quod in oculos incurrit, ab eo quod animo tantum ac ratione intelligitur, distinverit*; non enim hanc conditionalem posuit ut constantem ex hypothesi impossibili, sed plane ut possibilem ex mentis acumine. Ideo enim addidit illud, *subtili cogitatione*, nam si de re impossibili, aut quæ de facto nunquam fiat, loque-

retur, dicere posset: Si re ipsa humanitatem a Verbo separaveris. Quod vero addit, humanitatem sic cogitatam non esse adorabilem, recte a D. Thoma expositum est de absoluta et perfecta latria. Exemplum vero ferri igniti, quo Damasc. utitur, non esse ita materialiter intelligendum, ut animi motus in omnibus existimandi sint similes, vel proportionati motibus corporis. Quamvis ergo motu corporis non possit quis accedere vel recedere ab ignito ferro, quin ab igne recedat, cogitatione tamen recte potest unum ab alio secernere, et ad unum sine alio accedere; et proprietates quas unumquodque ex se sine alio habet, vel quas participat ex consortio alterius, præcise considerare. Cum ergo adoratio actibus mentis fiat et tendat in rem prout cogitatur, quamvis humanitas Christi sit igne divinitatis ignita, cogitari potest vel secundum se, vel secundum dignitatem, quam habet ex unione ad divinitatem, non cogitata divina persona vel natura secundum se, seu tanquam objectum, circa quod per se primo versetur cogitatio, sed solum ut forma extrinseca, seu terminus unionis humanitatis.

40. Ad Cyrillum respondetur, humanitatem proprie ac per se non habere sedem distinctam a persona cujus est, nam sedere ad personam per se pertinet, sicut regnare et dominari, et habere alios titulos dignitatis et potentie, qui per illam sedem intelliguntur; tamen, licet humanitas per se non habeat sedem, in illam redundat illius sedis dignitas et participatio quædam, secundum quam potest præcise concipi et coli. Ex quo non fit humanitatem habere distinctam sedem, sed potius sequitur humanitatem per se non habere sedem, neque ita illi in abstracto considerata convenire totam majestatem personæ sedentis, sicut ipsi personæ vel divinæ naturæ. Quod si quis inferat, hinc sequi humanitatem non adorari, quia adorari solum est ejus, qui in throno seu dignitate sedet, respondetur hoc esse verum de propriissima et completa adoratione, de qua Cyrillus eo loco agebat; incomplete tamen ac minus proprie, ex præcisione mentis ac cogitationis humanæ, non repugnat humanitatem in abstracto consideratam adorari.

41. Atque hinc facile respondetur ad Athanasium; solum enim docere intendit contra Nestorianos, corpus Christi et Verbum eadem adoratione completa et integra coli, et non esse adoranda tanquam reipsa separata, et personaliter disjuncta; non vero excludit Atha-

nasius, quin præcisione mentis possit unumquodque secundum propria concipi. Cujus argumentum manifestum sumitur ex illis verbis: *Neque Verbum adoraturi, Verbum a carne longe seponimus*. Nam secundum præcisionem mentis, clarum est posse nos Verbum præcise concipere et adorare; ergo, cum ait: *Verbum non longe seponimus*, loquitur de abstractione negativa, et de separatione in re ipsa; ergo eodem sensu intelligendus est, cum dicit e contrario, corpus non separari a Verbo. Atque idem plane est sensus Ambrosii, nam dividere Christum, ut supra dixi, non est præscindere, sed negare unitatem personæ; hoc autem modo non dividit Christum, qui humanitatem ejus præcise cogitat et adorat, sed solum distinguit naturas; dicit autem paulo inferius idem Ambrosius: *Non divido Christum, cum carnis ejus divinitatisque distinguo substantiam*.

42. Ad Augustinum respondetur, eodem sensu loqui quo cæteros Patres; cum ergo ait, adorando Christum non esse de sola carne cogitandum, sensus est non esse de Christo cogitandum tanquam de puro homine, de quo nihil possit altius ac excellentius cogitari quam sit caro seu humanitas; qui autem de Christo cogitat excellentiam quam habet in humanitate, etiam si aliam excellentiam non consideret, dummodo non excludat, non remanet in carne, quia vere credit divinitatem ejus, etiam si de ea actu non cogitet. Præsertim quia aliud est loqui de Christo, prout Augustinus loquitur, aliud de humanitate, de qua nos nunc agimus; Christus enim semper cogitandus est Deus, humanitas vero non potest cogitari Deus. Unde, si ob hanc solam causam dicatur aliquis sistere in carne, quia cogitans humanitatem non apprehendit illam ut Deum, neque ut divinam et increatam naturam, non male facit neque errat; imo contrarium cogitando valde erraret; immerito tamen dicitur hujusmodi homo remanere in carne, si cogitet illam humanitatem non ut divinam, sed ut deificatam naturam, aut divino Spiritu excellenti modo sanctificatam.

43. Ad Theodoretum respondetur, ibi loqui de illa adoratione qua humanitas cum Verbo et in Verbo simul adoratur, quod merito dicit esse magnum miraculum, quia fundatur in admirabili hypostatica unione. De alio vero modo adorationis per mentis præcisionem nullum ibi sermonem habet, et sicut talem modum non docet, ita neque excludit.

44. *Objectio.* — Dices: esto verum sit præ-

dictos Patres non habuisse sermonem de hoc adorationis modo, neque illum aperte exclusisse, tamen, cum semper meminerint unius adorationis perfectissimæ et excellentissimæ latriæ Verbi incarnati et humanitatis ejus, hoc ipso videntur omnem aliam excludere; non est ergo sine auctoritate Patrum introducenda. Respondetur, imprimis falsum esse eos virtute vel implicite negasse hunc modum adorationis, quia expressam mentionem illius non fecerunt, cum in hoc modo nihil contineatur contrarium doctrinæ ipsorum, sed potius ex ea colligi possit, cum doceant naturas ipsas, sicut manserunt distinctæ, ita etiam esse diversæ dignitatis et excellentiæ. Additque aperte Damascenus cogitatione secerni posse. Deinde, quod Patres non fecerint expressam mentionem hujus adorationis, occasio fuit quia cum hæreticis disputabant, contra quos nihil deserviebat hic adorationis modus, vel etiam quia loquebantur de adoratione, quæ regulariter ac publice est in usu Ecclesiæ. Satis ergo est quod D. Thomas et Scholastici omnes hos modos adorationis distinxerint et declaraverint. Et ex dicendis inferius de adoratione imaginum constabit magis hic adorationis modus.

45. *Christi humanitas, ab ipso in re sejuncta, quo cultu venerabilis existeret.*—Instantiæ fit satis.—Ultimo definitur facile ex dictis quid dicendum esset de humanitate Christi, si re ipsa separaretur a Verbo. Refert enim Waldensis, l. 1 Doctr. fid. antiqu., art. 3, c. 44, Wicleffum dixisse, humanitatem in eo casu esse adorandam latria; intelligebat autem de latria suprema et absoluta, ut patet ex illis verbis Waldensis: *Adoratione illa quæ Scriptura dicit: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Quo sensu est plane falsa et erronea sententia. Et in sensu contrario dixerunt Aug., serm. 59 de Ver. Dom., et Epiphan., in Ancor., humanitatem, si esset separata, non fore adorandam, suprema, scilicet, et absoluta adoratione. Nihilominus aliqua inferiori adoratione coli posset talis humanitas; nam, si retineret eadem dona creata gratiæ, proprie et absolute adoraretur hyperdulia, ut per se clarum est; cum vero jam non esset unita, non posset ratione unionis actualis adorari. An vero propter unionem præcedentem esset aliquo modo adorabilis; dicemus commodius infra, de adoratione reliquiarum disputando. Sed objici potest, nam licet humanitas separaretur a Verbo, maneret in illa dignitas redemptoris,

ratione cujus mereretur adorationem latriæ. Respondetur, esse redemptorem, proprie convenire personæ, non naturæ; persona autem, quæ tunc in illa humanitate subsisteret, non esset redemptor, sed solum haberet in se naturam quæ in Verbo fuit principium proximum, seu organum redemptionis; hæc autem dignitas, ut bene notavit Scotus, in 3, dist. 9, non est fundamentum sufficiens adorationis latriæ, sed solum hyperduliæ; beneficium enim redemptionis, vel potius vis et potestas redimendi, solum in principali auctore esse potest sufficiens ratio adorationis latriæ; quia solum illa excellentia est in eo ordine suprema et infinita.

ARTICULUS III.

*Utrum imago Christi sit adoranda adoratione latriæ.*¹

1. *Ad tertium sic proceditur. Videtur quod imago Christi non sit adoranda adoratione latriæ. Dicitur enim Exod. 20: Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem. Sed nulla adoratio est facienda contra Dei præceptum. Ergo imago Christi non est adoranda adoratione latriæ.*

2. *Præterea, operibus gentilium non debemus communicare, ut Apost. dicit, Ephes. 5. Sed gentiles de hoc præcipue inculpabantur, quod commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, ut dicitur Rom. 1. Ergo imago Christi non est adoranda adoratione latriæ.*

3. *Præterea, Christo debetur adoratio latriæ ratione divinitatis, non ratione humanitatis. Sed imagini divinitatis ejus, quæ est animæ rationalis impressa, non debetur adoratio latriæ. Ergo multo minus imagini corporali, quæ repræsentat humanitatem ipsius.*

4. *Præterea, nihil videtur esse in cultu divino faciendum, nisi quod est a Deo institutum; unde Apostolus, 1 ad Corinth. 11, traditur doctrinam de sacrificio Ecclesiæ, dicit: Ego accepi a Domino quod et tradidi vobis. Sed nulla traditio in Scriptura invenitur de adorandis imaginibus. Ergo imago Christi non est adoranda adoratione latriæ.*

Sed contra est, quod Damasc. inducit Basilium dicentem: Imaginis honor ad prototypum

¹ 2. 2, q. 81, a. 3, ad 3, et q. 49, a. 2, ad 2. Et inf., art. 4., corp., et a. 5, ad 2; et 3, d. 9, q. 1, a. 2, q. 2.

² Lib. 4, c. 17, non longe a princ.

pervenit, id est, exemplar. Sed ipsum exemplar, scilicet Christus, est adorandus adoratione latriæ. Ergo et ejus imago.

Respondeo dicendum, quod sicut Philosophus dicit in libro de Memoria et reminiscencia, duplex est motus animæ in imaginem. Unus quidem in ipsam imaginem, secundum quod res quædam est; alio modo in imaginem, in quantum est imago alterius. Et inter hos duos motus est hæc differentia, quia primus motus, quo quis movetur in imaginem, ut est res quædam, est alius a motu, qui est in rem; secundus autem motus, qui est in imaginem, in quantum est imago, est unus et idem cum illo, qui est in rem. Sic ergo dicendum est, quod imagini Christi in quantum est res quædam (puta lignum sculptum vel pictum) nulla reverentia exhibetur, quia reverentia non nisi rationali naturæ debetur. Relinquitur ergo quod exhibetur ei reverentia solum in quantum est imago, et sic sequitur quod eadem reverentia exhibetur imagini Christi et ipsi Christo. Cum ergo Christus adoretur adoratione latriæ, consequens est quod ejus imago sit adoranda adoratione latriæ adoranda.

Ad primum ergo dicendum, quod non prohibetur illo præcepto facere quancunque sculpturam vel similitudinem, sed facere ad adorandum. Unde subdit: Non adorabis ea, neque coles. Et quia, sicut dictum est, idem est motus in imaginem et in rem, eo modo prohibetur adoratio imaginis, quo prohibetur adoratio rei, cujus imago est. Unde ibi intelligitur prohiberi adoratio imaginum, quas Gentiles faciebant in venerationem deorum suorum, id est, dæmonum. Et ideo præmittitur: Non habebis deos alienos coram me. Ipsi autem vero Deo, cum sit incorporeus, nulla imago corporalis poterat poni; quia, ut Damascen. dicit², insipientiæ summæ est et impietatis, figurare quod est divinum. Sed quia in Novo Testamento Deus factus est homo, potest in sui imaginem corporali adorari.

Ad secundum dicendum, quod Apostolus prohibet operibus infructuosis Gentilium communicare; communicare autem utilibus eorum operibus Apostolus non prohibet. Adoratio autem imaginum est inter infructuosa opera computanda quantum ad duo. Primo quidem quantum ad hoc, quod quidam eorum adorabant ipsas imagines ut res quasdam, credentes in eis esse aliquid numinis, propter responsa quæ dæmo-

nes in eis dabant, et alios hujusmodi effectus mirabiles. Secundo, propter res quarum erant imagines; statuebant enim hujusmodi imagines aliquibus creaturis, quas in eis veneratione latriæ venerabantur. Nos autem adoramus adoratione latriæ imaginem Christi, qui est verus Deus, non propter ipsam imaginem, sed propter rem cujus imago est, sicut dictum est¹.

Ad tertium dicendum, quod creaturæ rationali debetur reverentia propter seipsam; et ideo si creaturæ rationali, in qua est imago Dei, exhiberetur adoratio latriæ, posset esse erroris occasio, ut, scilicet, motus adorantis sisteret in homine in quantum est res quædam, et non referretur in Deum cujus est imago. Quod non potest contingere de imagine sculpta vel picta in materia sensibili.

Ad quartum dicendum, quod Apostoli familiari instinctu Spiritus Sancti quædam Ecclesiis tradiderunt servanda, quæ non reliquerunt in scriptis, sed in observatione Ecclesiæ per successionem fidelium. Unde ipse Apostolus dicit, 2 ad Thess. 2: State, et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, scilicet, ore prolatum, sive per epistolam, scilicet, scripto transmissam. Et inter hujusmodi traditiones est imaginum Christi adoratio. Unde et beatus Lucas dicitur depinxisse Christi imaginem, quæ Romæ habetur.

COMMENTARIUS.

Quæ D. Thomas docet tam in corpore articuli quam in singulis solutionibus argumentorum, proluxa disputatione et examinatione indigent, et ideo rem ipsam tractantes, commodius mentem et litteram D. Thomæ explicabimus.

DISPUTATIO LIV;

In septem sectiones distributa.

DE USU ET ADORATIONE IMAGINUM.

Etsi D. Thomas de solius Christi imagine questionem proponat, tamen, quia eadem fere difficultas de omnibus imaginibus Dei et Sanctorum versatur, omniumque cognitio commodius simul tradetur, ideo de omnibus exacte disputandum est. De quibus primum generatim videbimus an retinendæ sint imagines, deinde qua reverentia et cultu tractandæ, ubi etiam obiter attingemus non-

¹ Cap. 2, circa med., tom. 2.

² Lib. 4, c. 15, ante med.

¹ In corp. art.